

net in sententia: *Non descendet filius meus vobiscum.* Eat & reducat Simeonem quicumque volet, meus Benjamin non ibit. Rationes tres addit: I. Frater eius mortuus, & ipse solus relictus est, nempe ex dilecta mea Rachel, quasi dicat, de vobis parum spero, quos expertus sum sæpius nequitiosos: De solo Benjamin, vobis meliore & magis pio, spero promissum semen & benedictionem Ecclesiæ. Hæc potissima causa, in qua tamen fallebatur sanctus patriarcha. 2. Via est periculosa, & vos estis nequam, sicut Iosephum ad vos missum interemistis forte: & Simeonem prætexitis detentum à principe, quem vos in rixa forte trucidastis: Ita Benjamin tollere cogitatis. *Summa:* Non video quomodo eum ex itinere tam longo & periculoso viuum & saluum recuperem. 3. *Descendere faceretis canitiem meam cum dolore in sepulcrum:* Idem supra in luctu de Iosepho dixerat. Hactenus mirabiliter à Deo inter extremos mærores seruatus erat. Si similis casus mihi subeundus foret, *actum*, inquit, fuerit de vita mea. Videmus sanctos patriarchas non fuisse stoicos aut ferreos, qui nullis casibus afficerentur, sed tenerrimam *σφοδρὴν* esse:

A patris erga filium. Erat enim filius senectutis, matris dilectissimæ filius, moribus compositis, indole ingenua patriarcharus, de quo optime speraret. Etsi autem forte modum excedit, quod mauult totam familiam fame periclitari, quam filio vnico spoliari: tamen testatur Deum authorem affectus parentibus indidisse, quibus complectantur suam sobolem, foueantque liberos præsertim probos & pios, neque probare stoicam ἀπάθειαν, in qua aliqui putant sanctimoniam apicem consistere.

B De phrasi *descendere in sepulcrum* הלאש supra dictum est. הלאש non est infernus, aut limbus animarum. Miror etiam Lutherum approbare figmentum illud. Vult enim הלאש esse *receptaculum subterraneum* animarum omnium, ubi requiescant & dormiant, ante Christum dictum fuisse sinum Abrahamæ, nunc sinum Christi. At animæ piorum in cælestem paradysum portantur ab angelis. Et הלאש non esse locum animarum, sed sepulcrum, patet, quia dicit, canos suos descensuros הלאש. At cani non descendunt in locum animarum, sed in sepulcrum. Ergo הלאש sepulcrum est, non animarum limbus.

Comm. in
Gen. c. 42.
pag. 104.
lef. 46. 10.

CAPITIS XLIII.

Argumentum, Vfus, Partitio, Analysis.

A Altera profectio filiorum Iacobi in Aegyptum cum Benjamin, quem post multam disceptationem à patre impetratum secum sistunt Iosepho, à quo humanius compellati, & domum abducti conuiuio accipiuntur. Ostendit consilium Dei necessario impleri, sicut dictum est: Consilium meum stabit, & omnem voluntatem meam faciam. Etsi igitur Iacob inscius multum obstabat, oportet tamen Benjamin dimitti cum fratribus, vt vndecim stellæ iuxta oraculum incuruentur Iosepho. Sunt præterea duo egregia exempla φιλοσοφίας, vnum in patre erga Benjamin: alterum Iosephi erga eundem & reliquos fratres. Est autē φιλοσοφία mirus quidam amor erga cognatum sanguinem, non accersitus consuetudine vt erga alienos, sed naturale incendium est in intimo sinu cordium flagrans. Vnde inter cognatos & alienos naturalis distinctio obseruatur.

Partes capituli potissimum duæ.

- I. Filiorum Iacobi in Aegyptum profectio, vsq; ad ver. 16.
- II. Iosephi cum fratribus altera actio superiore mitior, quia de fratris Benjamin vita, & patris incolumitate ei iam est satisfactum.

dd 3

In priore: